

In II Vesperis. Omnia ut in primis, praeter sequ.

Hymnus *Matris sub almae numine...* per extensum (qui modo habetur ad Laudes).

f. *Hi viri misericordiae sunt, quorum pietates non defuerunt.*

%. *Semen eorum, et gloria eorum non derelinquetur.*

Ad Magnificat. Ant. *Nomen eorum permanet in aeternum, permanens ad filios eorum, sanctorum virorum gloria.*

Et fit Comm. Feriae in Quadrag.

Sanctissimus Dominus Noster Pius Papa X suprascriptas variationes ac notas rubrícales, ab infrascripto Cardinali Sacrorum Rituum Congregationi Praefecto relatas, approbavit, ac Proprio Sanctorum Breviarii Romani inseri iussit. Die 8 Aprilis 1908.

S. Card. CRETTONI, *Praefectus.*

f D. Panici, Archiep. Laodicen., *Secretarius.*

#### URBIS ET ORBIS

#### **Decretum quo festum Septem Dolorum B. M. V., Dominicae tertiae Septembbris affixum, ad ritum duplicem secundae classis elevatur pro universa Ecclesia.**

Dolores Virginis Deiparae etsi duplici festo in universa Ecclesia per annum recolantur, videlicet Feria sexta post Dominicam Passionis ac Dominica tertia Septembbris ; utrumque tamen festum mobile Beatae Mariae Virginis, utpote secundarium, sub ritu duplici tantummodo maiori celebratur. Quo vero eiusdem Virginis Perdolentis cultus augeatur, et fidelium pietas gratique animi sensus magis magisque foveantur erga misericordem humani generis Conredemptricem ; Rmus Pater Prior generalis Ordinis Servorum B. M. V., qui potissimum ipsam Matrem Dolorosam veluti suam Conditricem et praeципuam Patronam venerantur, occasionem nactus qua proxime adfuturo Septembri (mense Virginis Doloribus recolendis sa-

*Ex S. Congregatione Rituum*

ero) quinquagesimus annus ab inito sacerdotio Sanctissimi Domini Nostri Pii Papae X feliciter completur, supplicibus, votis totius Regularis Familiae eumdem Sanctissimum Dominum Nostrum rogavit, ut etiam ad perennem rei memoriam, festum Septem Dolorum B. M. V., Dominicae tertiae Septembbris amxum, ad ritum duplice saltem secundae classis pro-universa Ecclesia elevare dignaretur. Sanctitas porro Sua, referente infrascripto Cardinali Sacrorum Rituum Congregationi Praefecto, eiusmodi preces peramanter excipiens, festum Septem Dolorum B. M. V., quod enunciatae Dominicae ad-signatum fuit, in posterum sub ritu dupli secundae classis, ubique recolendum decrevit: servatis Rubricis. Contrariis non obstantibus quibuscumque. Die 13 Maii 1908.

S. Card. CRETONI, *Praefectus.*

f D. Panici, Archiep. Laodicen., *Secretarius.*

OSNABRUGEN.

**Circa indulta Officiorum votivorum de SS. Sacramento et de  
Immaculata Concepcione B. M. V.**

Postulato Rmi Dñi Episcopi Osnabrugen., Provicarii Apostolici Missionum Germaniae Septemtrionalis et Administratoris Praefecturae Apostolicae Slevigis Holsatiae: « utrum Officia votiva antiqua de praecepto recitanda singulis feriis quintis non impeditis de SSmo Sacramento, et singulis Sabbatis item non impeditis de Immaculata Concepcione B. M. V., sint revocata per nova Officia votiva ad libitum recitanda et concessa cum decreto generali n. 3581 *Urbis et Orbis* (i) 5 Iulii 1883? »; Sacra Rituum Congregatio, referente subscripto Secretario, auditoque voto Commissionis Liturgicae, respondentum censuit: « Negative, nisi expresse renuntiatum fuerit antiquis indultis, iuxta ipsum citatum decretum, ubi in fine

(i) Cfr. *Acta S. Sedis*, vol. 16, pag. 47.